



THE CATHOLIC UNIVERSITY OF EASTERN AFRICA

A. M. E. C. E. A

MAIN EXAMINATION

P.O. Box 62157
00200 Nairobi - KENYA
Telephone: 891601-6
Fax: 254-20-891084
E-mail: academics@cuea.edu

JANUARY – APRIL 2017 TRIMESTER

INSTITUTE OF CANON LAW

REGULAR PROGRAMME

JC-L 215: LATIN IV

Date: APRIL 2017

INSTRUCTIONS: Answer TWO Questions

Anglice redde

Q1. Notioni unitatis valde affinis est notio identitatis; nam quidquid unum est, idem est sibimetipsi. Quare identitas definitur: Convenientia rei cum seipso; vel: affirmabilitas in recto unius de altero. Dicitur in recto, quia unum nequit affirmari in recto de altero, quin sint idem; fieri autem potest, ut unum de altero affirmetur in obliquo, quae tamen sunt plane distincta. Sic, sapientia affirmatur in obliquo de homine, et similiter humanitas de Verbo divino, cum dicis: homo est sapiens, Verbum est homo, sed sapientia ab homine, et humanitas a Verbo realiter distinguuntur. Unde identitas fundatur in reali entis unitate, formaliter autem constituitur, quatenus eadem res semel et iterum concipitur, et secum collata, sibi identica invenitur. Duplex est: realis et logica seu rationis. Prior convenit rebus independenter mentis consideratione, ut identitas inter S. Petrum et Principem Apostolorum. Altera est ea, quae provenit a mentis consideratione, ut identitas inter Petrum et Paulum secundum naturam specificam. Haec minus recte dicitur identitas, revera non est nisi similitudo, i.e., convenientia plurium in aliqua forma. Triplex est: identitas seu similitudo secundum essentiam, ut in exemplo dato; identitas secundum qualitatem, i.e., similitudo proprie dicta; identitas secundum quantitatem, i.e., aequalitas.

Q2. **Incapacitas ob defectum discretionis iudicii (habita ratione praesertim immaturitatis psychoaffectivae) (can. 1095, n. 2)**

Ad matrimonium valide contrahendum, nupturientes in manifestatione consensus non solum debent rationis usum sufficientem habere, sed etiam tum sufficientem aestimationem criticam iurium onerumque in matrimonio essentialium, sive

iudicium practicum de ipsis, tum libertatem internam in deliberando illa assumere, sive sufficientem capacitatem sese determinandi in exprimendo consensu matrimoniali (cfr. can.1095, n. 2).

Maturitas post pubertatem praesumitur (can. 1096, § 2). Cum pubertate enim praesumitur maturitas psychica atque physica. In iure romano, post Iustinianum, pubertatis tempus statuebatur anno aetatis XIV pro viro, anno XII pro muliere. Ius canonicum e converso statuit pubertatem anno aetatis decimo sexto pro viro, decimo quarto pro muliere, sed ex can. 1083, § 2 integrum est Episcoporum Conferentiis statuere aetatem superiorern ad licitam matrimonii celebrationem.

Ratione psychologica potest immaturitas nomine vitii definiri respectu aetatis et gradus integrationis totius personalitatis, qua re modus agendi socialis in aetate adulta speciem infantilem et iuvenilem conservat. Immaturitas non obstat directe intellegentiae generali, quae probis mensuratur, sed eius turbat efficientiam et ob quandam caducam fragilitatem atque animi languorem, et propter inefficientiam in determinandis negotiis, et denique ob defectum inhibitionum.

Q3. **Can. 17** - Leges ecclesiasticae intellegendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam; quae si dubia et obscura manserit, ad locos parallelos, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris est recurrendum.

Can. 18 - Leges quae poenam statuunt aut liberum iurium exercitum coarctant aut exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretationi.

Can. 19 - Si certa de re desit expressum legis sive universalis sive particularis praescriptum; aut consuetudo, causa, nisi sit poenalis, dirimenda est attentis legibus latis in similibus, generalibus iuris principiis cum aequitate canonica servatis, iurisprudencia et praxi Curiae Romanae, communi constantique doctorum sententia.

END